

involuta, & argumentis rectæ rationis plus obnubilari, laudat Apostolus *ποιήματα*, ut medium deducendi in Existentiam Numinis, rejiciunt illi illud, & aliud nempe *θαυματουργήματα* substituunt, parum solliciti de latitudine objectiva, reverentia Apostolicæ informationi debitâ.

XXIII.

Superfunt Orthodoxi ab intentato crimine liberandi. Non autem ex assertione notitiæ insitæ deduci posse demonstrationis possibilis defectum, suadent sequentia, nam I. *Albertus Magnus, Episcopus* quongam Ratisbonensis magni nominis Vir inter *Pontificios*, DEUM existere, docuit, esse per se notum, & tamen demonstrari posse à posteriori constanter affirmavit, teste *Vasquezio part. 1. disp. 20. c. 3. §. 6.* II. Si prima principia possunt negari, & in tali casu aliquo modo demonstrari, ut quidem exemplo confirmat *Arriaga*, quod audiverit Philosophum sat boni ingenii, qui dixerit, *infinitum Categorematicum esse possibile*, si tamen aliqua pars ejus auferretur, reliquum mansurum tantum, quantum ante erat totum ipsum infinitum, quod contra principium illud, totum est majus sua parte, uti consimilia fatuitatis specimina in authore illo, qui se falso nominat Christianum Israëlitam apparent, utique etiam non obstante, quod per se notum sit DEUM esse, ab Effectu ad causam progrediendo, vel ad absurdum quoddam immane deducendo, in consimili casu demonstrari poterit, esse aliquem qui *πληρωτὴρ καὶ ποιητὴς πάντων*, ut ex Aristotele deducit *Scaliger Exerc. 365. sect. 4.* III. Optandum utique esset, non eousque assurgere hominum malitiam, ut fatigare necessum esset argumentis hanc impietatem retudentibus adversarium, verum cum ipse Paulus, præsupposita notitia insita, acquisitam ex *ποιήμασι* Universi suppeditet, & Creaturarum testimonia contra iniquos Lipsani sacri possessores urgeat, concludendū est potius hæc conspirare, quam sese mutuo evertere. Obsignamus ergò discursum nostrum notabili sententia, quam habet Lactei oris Pater, lib. i. de falsa relig. c. 2.

Nemo est tam rudis tam feris moribus, qui oculos suos